



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 162. An permutatio fieri possit per procuratorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

rationem, quia dispensatio, utpote odiosa, extendi non debet ad aliud beneficium. Vide *Leur.* q. 835. Et idem est, si permutet bigamus aut alius similis dispensatus ad hoc tantum beneficium, quod habet, *Leur.* q. 840. Hinc etiam habens ex dispensatione duo alioqui impossibilia, non potest hæc permutare cum altero, nisi & hic similem dispensationem obtineat, quia dispensatio non transit ad aliam personam, *Az. Castrop. Pirh.* n. 28.

§. V. Quod attinet ad illos, qui permutare possunt, I. si accepisti beneficium animo dimittendi, potes permutare, uti posses resignare, quidquid contradicat *Chok.* apud *Leur.* q. 833. 2. Si senex vel infirmus permutet, est præsumptio fraudis, si autem fiat ex fraude, permutatio nulla est ex parte fraudulentæ, *Paris. Leur.* q. 835. 3. Si illegitimus obtinuit beneficium in Ecclesia, in qua habet aut habuit ejus pater, potest imò debet resignare aut permutare intra tres menses, *Trid. Sess. 25. c. 15. de Ref.* Vide *Leur.* q. 838. 4. Si permutet excommunicatus, suspensus, irregularis, criminofus, infamis, illiteratus, non habens ætatem requisitam &c., permutatio est irrita respectu habentis talem defectum, valet tamen respectu alterius, qui novæ collationis capax est, *Leur.* q. 839. & seqq. *Nec obstat*, quòd habens talem defectum, licet habilis sit ad retinendum illud, quod habet, tamen sit inhabilis ad acquirendum novum beneficium, adeoque non videatur debere amittere suum, nam quòd sit inhabilis, non est culpa alterius, ergo hic non ideo impeditur, quominus acquirat beneficium ab ipso dimissum, *Castrop. Leur.* q. 310. n. 13.

Q. 162. *An permutatio fieri possit per procuratorem.* R. Affirmativè etiamsi procurator sit laicus: potestque unus idemque esse procurator utriusque

1088

1089

usque permutantis, *Bellam. Gamb. Senis, Az. Chok.*, sed requiritur speciale mandatum ad hoc, *Az. Chok.*, Et debet mandatum infra annum executioni mandari, aliàs præsumetur cessasse, *Chok.* Constitutus autem ad permutandum coram Papa non potest permutare coram Ordinario, *Chok.*; Et beneficium vacat in loco, ubi procurator permutat, non ubi constituitur, *Rebuff. Gamb. Az. Chok. Leur. p. 3. q. 866.* Quòd si Principalis moriatur post resignationem à procuratore factam, hic cogi potest ad extendendum consensum & complendam permutationem, *Chok. Leur. q. 870.* Tenetque etiam permutatio post factam mandati revocationem, si hæc debitè intimata non fuit, secundùm dicta n. 1041.: sufficit autem hanc revocationem intimari, vel procuratori vel Superiori vel compermutanti, *Paris. & alii cum Leur. q. 698. n. 12.* Vide dicta à n. 1032. de resignatione per procuratorem, quæ hic applicari debent.

1090 Q. 163. *An requiratur consensus permutantium, item Patronorum & Electorum. R.*

§. I. Quamvis requiratur consensus permutantium, cum nemo invitus privandus sit jure suo, tamen si Ecclesiæ necessitas postulet, potest quis compelli ad permutandum. Vide *Leur. p. 3. q. 867.* Quòd si partes promiserint aut jurarint permutare, non posse resilire, docent *Chok. Ventrig.*, sed probabilis contradicunt alii cum *Garc. apud Leur. q. 868.*, quia in contractibus innominatis re adhuc integrâ locus est pœnitentiæ; obtineri tamen debet dispensatio à juramento, & secundùm *Gonz. ac But.* contra *Garc.* refundi debent expensæ alteri parti ideo causatæ; si autem res non sit amplius integra, sed unus beneficium suum resignarit, debet & alter compelli, *Bellam. Vbald. Az. Leur. q. 869. contra Gl. & Cynum.*

§. II.